

exprimentes, *videri sibi dicant, quod Deus vel omnino iis. quoad spiritualem illam tristitiam aliis immitti solitam, parcat; vel si in illos hac ratione anima dvertere aut vulnerare eos velit, ipse rursus eos obliget ac sanet; internis per Spiritum S. consolationibus supplens defectum prædicationis aut informationis externæ, Vid. Israël Murschelius in Vespera Cap, I. pag. 14. & 15. Imo neque negandum est, hominibus illis natura surdis ac mutis sicut ad concipiendam fidem, signa externa, quæ in oculos incurrunt, mediorum instar seruiunt: (vid. Tract. noster Germ. Gründl. Erweisung und Vertheidigung der reinen Lehre wider die Quäker S. LIII. p. 112. 113.)* ita ad recuperandum sensum fidei, in casu gravioris tristitiæ spiritualis & prægustus istius damnationis, per signa externa suo modo subveniri posse: ut Dei ista operatio, quemadmodum semen fidei in corda non plane ἀμέσως insperfit, sic neque omnino immediate illis in casu tentationis sensum fidei restituat. Sed hæc ὡς ἐν παροῳδῳ.

§. XXX. Nunc proximum est, ut postquam prægustum ipsum damnationis, & prægustantes damnationem homines vidimus, in *Originem* prægustus illius paulo sollicitius inquiremus; velut qui flumen aut rivum atque accolæ contemplati, ad fontem ascendunt. Itaque *primum* quidem ex parte ipsorum *Hominum* occurrunt *peccata*, quæ sicut sua natura digna sunt morte & damnatione; ita eorum intuitu etiam in hac vita subtrahi potest & solet gratia spiritualis, quæ animum recreat & prægustum vitæ æternæ largitur, ut simul ex adverso oriatur carentia bonorum spiritualium, & metus aut horror malorum oppositorum imminentium aut præsentium. Imo huc pertinet quod supra vidimus, *Ἐπίψιν καὶ στενοχωρίαν afflictionem & anxietatem venire super animam hominis perpetrantis malum. Rom. II. 9.* Morlus etiam conscientiæ, quibus homines cruciantur, non aliunde oriri, vidimus, quam quod peccata patrata ipsa, quoad suam culpam & reatum, homini ante oculos versentur; dumque eorum cum natura rationali disconvenientiam, gravitatemque offensæ supremi legislatoris ac iudicis, indeque indignationis atque iræ divinæ magnitudinem contemplantur homines, sic in illis anxietatem, dolorem, metum ac tristitiam excitari.

§. XXXI.